This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

BX
1529
M6

$B 154 488

YC147509

Digitized by Google



Digitized by Google

No 209

Digitized by Google

Digitized by Google

QUÆ PARTES FUERINT EPISCOPORUM

IN CAPETIANIS

AD REGNUM PROVEHENDIS

DISQUIREBAT

ERNESTUS MOURIN

In lyceo Andecavorum professor aggregatus.

UNIV. OF CALIFORNIA

ANDECAVIS

APUD COSNIER ET LACHÈSE

Via dicta Chaussée Saint-Pierre, 13

1856

Digitized by Google

BX 1529
M6

UNIV. OF
CALIFORNIA

Digitized by Google

DEFUNCTÆ SORORI

pii amoris

MONUMENTUM DEDICAT FRATER.

E. M.

M206051

Digitized by Google

Digitized by Google

THESIS PROPOSITUM.

Cuicumque historica mediæ ætatis monumenta perlegenti hoc sane in primis occurrit, in regnorum rebus maxime valuisse Episcopos. Quod si tanti argumenti parvam partem, pro viribus, adumbrare liceat, quas partes, decimo sæculo exeunte, Gallici Episcopi in Capetianis ad regnum provehendis egerint in medium vocare placuerit. Ex Richerio autem, cum aliis documentis collato, hæc deducere mihi proposui : 1° Episcopi, postquam diutius Carolinæ stirpi studuerunt, Lothario regnante, in Capetianorum partes regnum affectantium transeunt; 2° Episcopi, Capetianis inservientes, Pontifici romano adversantur, atque in libertatem Gallicam ecclesiam vindicare aggrediuntur.

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIV. OF CALIFORNIA

PARS PRIOR.

Testantur veteres historici, necnon et regum capitula, quantum auctoritatis apud Caroli magni sobolem habuerint Episcopi; ita ut in forma quasi sacerdotali regnum versari videatur. Inter quos summo momento et dignitate eminet Remensis provinciæ metropolitanus, quem longo temporis spatio cum regibus Carlensibus arctissima societate vinctum accepimus. Etenim, bello reges inter et proceres flagrante, consilio et armis regem sustentant archiepiscopi Remenses. Sic se habuisse constat Fulconeum, a quo in regnum instauratus est Carolus cognomine simplex (1); sic Heriveum, qui eumdem Carolum vi et armis captum vindicavit (2); sic præsertim Artaldum, qui cum adversam tum secundam Ludovici nomine quarti fortunam tulit (3).

Ubi vero sedem Remensem obtinuit Adalbero cognomine magnus, mutata sententia, nullo longi usus respectu, in Capetianorum partes inclinat. Cujus tantæ

(1) Richeri historiæ, lib. I, cap. 12.
(2) *Id.*, *ibid.* cap. 22.
(3) *Id.*, lib. II, passim.

Digitized by Google

UNIV. OF CALIFORNIA

conversionis si causas perquiramus, quis tum fuerit ecclesiæ gallicæ status paucis verbis explanare necesse est. Jam incipiente sæculo decimo, de regni et ecclesiæ conditione apud Trosleium habiti concilii dolebant Episcopi. « Depopulatæ urbes, destructa vel incensa monasteria, agri in solitudinem sunt redacti, ita ut vere possimus dicere quia pervenit gladius usque ad animam. Usque ad animam denique gladius pervenit, cum justo Dei judicio amissis exterioribus bonis et exhausto flagellis atque afflictionibus corpore, ipsa virtus animæ lassata deficere videtur, et quasi nihil vitale in illa reservatur... Nostris potius et totius populi quem regere debuimus, peccatis ista fiant, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput et debita nostra creverunt usque ad cœlos. Fornicatio et adulterium, sacrilegium et homicidium inundarunt et sanguis sanguinem tetigit... Et sicut primi homines nulla lege, nullo saltem timore prohibebantur male agere; sed libere ventri et delectationibus oculorum, ac cæteris vitiis serviebant : ita nunc posthabito humanarum vel divinarum legum timore, contemptis edictis episcopalibus, unusquisque quod vult agit : potentior viribus infirmiorem opprimit, et sunt homines sicut pisces maris, qui ab invicem passim devorantur. Hinc est quod videmus per totum mundum rapinas pauperum, deprædationes rerum ecclesiasticarum... Omnis pene ordo, omnisque status ecclesiæ confusus at temeratus est. Denique, ne nobis parcere videamur, qui aliorum errata corrigere debemus, episcopi dicimur, sed episcopale officium non implemus. Ministerium prædicationis relinquimus : eos

Digitized by Google

qui nobis commissi sunt videmus Deum deserere et in pravis actibus jacere et tacemus, nec eis manum correctionis tendimus... De monasteriorum vero non statu, sed lapsu quid dicere, vel agere debeamus, jam pene ambigimus. Dum enim, mole criminum exigente et judicium a domo Domini incipiente, quædam a paganis succensa vel destructa, quædam rebus spoliata, et ad nihilum prope sint redacta, si tamen quorumdam adhuc videntur superesse vestigia, nulla in eis regularis formæ servantur instituta... Nunc etiam in monasteriis Deo dicatis monachorum, canonicorum et sanctimonalium, abbates laici, cum suis uxoribus, filiis et filiabus, cum militibus morantur et canibus. Legitur quoque in capitularibus, ut abbates monachorum regulam per singula verba discutientes pleniter legant, et intelligentes, Domino opitulante, efficaciter, cum monachis suis implere studeant. Et quomodo discutiet? quomodo leget? quomodo intelliget? Si forsitan oblatus fuerit hujusmodi codex, respondebit illud Isaianum : nescio litteras (1). »

Abhinc malum in dies ingravescebat. Tandem Ecclesiam instaurandam quidam Episcopi suscepere. Cum vero Carlenses, Ecclesiæ bona invadentes, et ob degenerem animum debiles, ad tantum opus conspirare nequirent, Capetianos assumpsere. Tum oritur ista Episcoporum factio quæ mores in melius vertere, litteras instaurare, Capetianos promovere molitur; cujus sunt auctores et

(1) Concil. Trosleianum, anno 909, apud Labbe, t. IX, col. 521-528.

Digitized by Google

duces duo maxime, antistites opibus et gratia valentes præ cæteris, Adalbero Remensis et Aurelianensis Arnulfus.

« Erat Adalbero, ait Richerius, regalis nobilitatis vir (1). » Educatus fuerat in Gorziensi cœnobio cum sancto Rothado Cameracensi Episcopo. Ex isto cœnobio ortos esse plerosque decimi sæculi conspicuos viros satis constat (2). In sede Remensi, virtutibus, morum studio, eloquentia et doctrina Adalbero eminuit. At cum eum fere omnes laudant historici, solus a communi consensu abhorret appendicis Frodoardi auctor qui scripsit « Adalbero nomine non merito Archiepiscopus (3). » Imprimis pravas cleri consuetudines emendandas acriter curat (4). Dein ut mores doctrina illustrentur, in scholam jam a Fulcone præsule frequentatam, eruditissimum Gerbertum evocat. Quo vero scholastico docente, mox affluit juventus, ut brevi schola Remensis quasi totius occidentis lux eniteat. Fuit etiam Gerbertus apud Adalberonem consiliorum et socius et particeps.

Arnulfum Aurelianensem virtutibus, genere, opibus prævaluisse ferunt. « Erat igitur, ait Rodolphus Glaber, tunc temporis pontifex venerabilis Arnulfus, qui videlicet genere et doctrina sapientiæ pernobilis ac paternorum fundorum redditibus locupletissimus (5). » Cujus de eloquentia magnifice loquuntur Gerbertus Richeriusque mo-

(1) Richerius, lib. II, cap. 23.
(2) Acta sanctorum ordinis sancti Benedicti, sæculo V, p. 383.
(3) Apud Chesnium, t. II, p. 623.
(4) Richerius, lib. II, cap. 25-35.
(5) Apud Domnum Bouquet, t. X, p. 17.

Digitized by Google

nachus (1). Capetianæ factioni, eo quod sedem Aurelianensem tenebat, strenue inserviebat Arnulfus (2); multosque, licet Metropolitani dignitate non floreret, sola virtutis, doctrinæ et prudentiæ auctoritate secum trahebat.

Hi sunt ecclesiæ principes, Adalbero et Arnulfus. Ad hos autem accedit, virtute minor, disciplina et arte haud impar, Ascelinus seu Adalbero Laudunensis. In sedem, rege Lothario favente, a tenera ætate ascenderat (3). « Ex Lotharingia oriundus, dives opum, possessionum locuples, » in studio litterarum versatus est, musis indulsit, pluraque opera composuit, inter quæ poema inscriptum *Carmen,* quo mordaci versu monachos carpit episcopus (4). Adalberonem, cujus suffraganeus erat, ducem sæpe secutus est, easdemque partes, scilicet Capetianas, coluit. Sed Laudunensem episcopum quisque suspectum habebat; nempe is mobilis animo, irrequietus, dolosus, nec fidei observantissimus, auctoritatem vi mentis et eloquentia paratam improbo ingenio vitiabat. Adde ambiguas de moribus ejus voces : « Emma regina et Adalbero Loudunensis episcopus infames stupri criminabantur... et quia suppresse dictum ad omnium aures devenerat, episcopis visum est id esse discutiendum, ne frater et coepiscopus eorum infamiæ tantæ subderetur (5). » A

(1) Richerius, lib. IV, cap. 52. Cf. Acta concilii sancti Basoli, apud Domnum Bouquet, t. X, p. 511.

(2) Vide Richeri lib. III, cap. 84 et 85.

(3) Gallia Christiana, t. IX, col. 521.

(4) Hist. littéraire de la France, t. X, p. 524.

(5) Richerius, lib. II, cap. 79.

Digitized by Google

metropolitano collecta est synodus apud Sanctum-Magram. Nescimus, aliquot Richerii verbis deficientibus, quæ synodi fuerit sententia; at nunquam crimine purgatum esse Adalberonem constat.

Cum his tribus episcopis consentiunt alii præsules, mandata, quasi more militiæ, exsequentes. Solus Catalaunensis Gibuinus a publicis rebus, factionumque discordiis longe remotus, totus fuisse videtur in diœcesi administranda, ut verba testantur in ejus tumulo inscripta : « Hic jacet Gibuinus bonus episcopus (1). »

In rebus Lotharingiæ primum consilia depromere cœpit Adalbero Remensis. Defuncto Othoni II, filius, tres annos natus, ipse Otho nomine, superstes erat. Hunc puerum rapuit Boiorum Dux Henricus qui regnum usurpavit. « Quod dum a Lothario expetendum cogitaret, cumque concessa Belgica sibi socium et amicum facere moliretur, legatos præmisit, apud quos, sacramento commune negocium firmaretur (2). » Pacto fœdere, rex statim Virdunum invadit (a. 984); at aliquot mensibus elapsis, quidam Othonis fautores, scilicet Theodericus, Belgiæ Dux « necnon et vir nobilis ac strenuus Godefridus, Sigefridus quoque vir illustris, Bardo etiam et Gozilo fratres clarissimi et nominatissimi Virdunum irrumpunt eamque a Gallis evacuant (3). » Godefridus autem Adalberonis Remensis frater, Laudunensis Adalberonis Bardo et Go-

(1) Gallia Christ., t. IX, col. 871.
(2) Richerius, lib. III, cap. 97.
(3) *Id. ibid.*, cap. 103.

Digitized by Google

zilo fratres erant. Quo audito, exercitum jam dimissam revocat Lotharius, repentina aggressione urbem occupat, ac captos comites in carcerem conjicit (1). Nihil amplius ea de re narrat Richerius. Gerberti vero ex epistolis, quid in hac contentione senserit aut egerit Adalbero Remensis, in lucem proferre possumus.

Anno 984, jam crebriores epistolas episcopis Germanis inscriptas legere est. Othoniensi stirpi ob multa beneficia addicti, obliti sunt Archiepiscopus et monachus sese in Gallia, Lothario rege, versari. Attendenti autem et obscura quædam verba penitus scrutanti, eorum sententiam, densissimis tenebris interdum involutam, introspicere licet, et quibus partibus indulgeant, etsi de pluribus taceant, agnoscere. «... Multa chartis non credimus quæ legatis committimus... Huic abbati Airardo sibi intimo pater meus Adalbero vobis per omnia fidus multa commisit, de statu et pace regnorum vobiscum habenda... O mi pater! mœrens simili de causa mœrentem quibus affabor verbis? Cæsare destituti præda hostium sumus. Cæsarem in filio superesse putavimus. O qui prodidit? quis nobis alteram lucem eripuit? agnum matri, non lupo committi oportuit (2). »

Nec satis est Adalberoni in eos questus erumpere, vel inertibus votis Cæsaris filium adjuvare, quem summa ope, vi etiam, si res postulet, tueatur. « Nos quidem pietas

(1) Richerius, lib. III, cap. 107.

(2) D. Bouquet, t. IX, p. 275. Moguntino archiepiscopo Gerberti epistola, anno 984.

Digitized by Google

et multa circa nos Othonum beneficia filio Cæsaris adversari non sinunt. Denique res nostras ad auxilium promovimus (1). »

Non modo Henricum insectatur, sed etiam Francorum reges. «... Ecce palam destituitur cui ob paterna merita fidem devovisti, devotam servare debuisti. Germanum Brisaca Rhenani littoris Francorum reges clam nunc adeunt. Henricus reipublicæ hostis accurrit... Novimus alta consilia, Francorum impetum : sed quem finem habeat non ignoramus (2). »

Germanos episcopos, ne imperium dividi patiantur, vehementissime hortatur. «... Quo recessit sanctissima fides? excideruntne animo beneficia Othonum vobis conlata? magnam intelligentiam vestram revocate, generositatem perpendite, ne perpetuo dedecori generi vestro esse velitis. Si vires vos destituere acclamatis, meliora sentientes perquirite, nos fautores, coadjutores in talibus negotiis fore confidite. In perturbatione et confusione omnium rerum, quis alterius levabit onus? Postremo si salva dignitate vestri nominis urbem Trevirorum tutari non valetis, Remorum utrique nostrum sit satis... (3). »

Attamen quam ambiguas agat partes haud ipsum fugit Adalberonem. Quum, suum ipsius nepotem, comitis Gode-

(1) D. Bouquet, t. IX, p. 275. Ex persona Adalberonis Moguntino archiep., anno 984.

(2) *Id. ibid.* Notegario episcopo Leudiensi epistola Adalberonis, anno 984.

(3) *Id. ibid.*, p. 277. Ecberto archiep. Trevirensi, ex pers. Adalberonis, anno 984.

Digitized by Google

fridi filium, invito Lothario, sacravisset, ea de re se purgare conatur, et suo ab officio non discessisse contendit. «... Et quia rex cœlestis dicit : reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo, nostris legibus puram fidem, purum servitutis obsequium semper impendemus, in nullo deviabimus, Domini tamen partes priores faciemus. Sed quoniam quæ Domini sunt hoc tempore pauci providerunt, si quando legem Domini zelamus, aut perfidia aut alio quolibet vitio denotamur : eoque fit ut (ut ea dicam), inter malleum et incudem positis, sine jactura animæ et corporis spes evadendi sit difficilis (1). »

Adalbero sociusque Gerbertus, dum summa simulatione insidias parant, Othonem in regno sub tutela Lotharii institui se velle fingunt. « Quantis occupationibus Reipublicæ detineatur noster, ut ita dicamus, fiduciarius pater Adalbero et tarditas hujus legati indicat et præsens ab urbe Remensi absentia. Causa negotium continens status regnorum est. Nam dum a Lothariensibus regni primatibus obsides accipit, dum filio imperatoris parere cogit sub regis Francorum clientela, dumque Henricum in Gallia regnare prohibet, vestro nomini convenientia quæ mitteret non habuit... (2). » Atque alias : « Dominam meam Theophaniam imperatricem nomine meo convenite : reges Francorum filio suo favere dicite, nihilque eos aliud conari, nisi tyrannidem Henrici regem se

(1) D. Bouquet, t. IX, p. 279, Ecberto archiep. Trevirensi. ex pers. Adalberonis, anno 984.

(2) *Id. ibid.*, p. 279, Geraldo abbati Aurilliacensi Gerbertus, anno 984.

Digitized by Google

facere volentis sub nomine advocationis, velle destruere (1). » Quæ si cum Richeri enarratione, supra memorata (2), conferas et etiam aliis quibusdam Gerberti epistolis, mendaci specie velata consilia apparent. Et enim si regi consentiant, cur ab eodem suspecti habentur? Cur tenebris quasi involuti incedunt, nisi in regem conjurati? quid de mandatis ad Beatricem, Hugonis sororem, missis censebimus, vel de his monachis qui clanculum cum Duce colloquia faciunt (3)? Præterea, nonne ab Adalberone iste Godefridi filius, quem, cum, inconsulto Lothario, Virdunensis episcopus electus esset, diaconum et presbyterum ordinaverat, ad rebellium incitatur? « Felices quibus paterna virtus exemplar sit imitabile. Vester genitor hoc petit. Repentinus casus ne vos deterreat, filio Cæsaris fidem quam promisistis inviolatam servate, omnia castra ab hostibus tuemini, denique nec Scarponnam nec Haidonis castellum, nec quidlibet eorum quæ vobis reliquit Francis reliqueritis, illecti aut vana spe suæ liberationis, aut terrore sui cruciatus aut filii Friderici. Hæc præcepta magnanimus pater generosis filiis dedit. Sentiunt in vobis hostes non se totum cepisse Godefridum, auxilia undique comparate, liberatores patriæ, vos similes patri in omnibus repræsentate (4). » Cæterum alia se

(1) D. Bouquet, t. IX, p. 279. Dominæ Imizæ Gerbertus, anno 984.

(2) Richerius, lib. III, cap. 97-108.

(3) D. Bouquet, t. IX, p. 282. Beatrici duci ex persona Adalberonis epist., anno 984.

(4) D. Bouquet, t. IX, p. 282. Adalberoni vocato episcopo Virdunensi et Hermanno fratribus Gerberti epist., anno 985. — Talia Mathildi

Digitized by Google

sentire, interdum alia scribere Gerbertus fatetur : « Fidissimum vobis Adalberonem Remorum archiepiscopum nullo modo harum rerum conscium facietis, qui quanta prematur tyrannide testantur epistolæ ad Archiepiscopos vestros directæ, in quibus nihil eorum quæ voluerint scripsit, sed quæ tyrannus extorserit oscitanti (1). »

Adalbero autem et Gerbertus, dum in Lotharium conjurant, Hugoni Capeto secreto fœdere esse juncti videntur. Jam anno 979 Ducis amicitiam aucupabatur Archiepiscopus (2); inter quos Airardus quidam, S. Theoderici prope Remos abbas, quem intimum præsul habebat, primus internuntius fuit (3). Anno 985, Sigefrido, Godefridi comitis germano, hæc inter alia mandat Gerbertus : « Hoc insuper vestræ fidei committimus, quia, si Hugonem vobis in amicitiam colligaveritis, omnes impetus Francorum facile devitare valebitis (4). » Eodemque anno hæc idem *innominato :* « Obscuram epistolam et sine

comitissæ, Godefridi uxori, scribit Gerbertus : « Pactum cum Francis hostibus nullum facite, Francorum reges aversamini. Castra omnia sic tenete, sic defendite, ut nullam in his habeant partem adversarii vestri. » *Ibid.*, p. 283.

(1) D. Bouquet, t. IX, p. 283. Notegario episcopo Leudensi Gerbertus.

(2) *Id., ibid.*, p. 275. Adalberoni arch. Gerbertus : « Amicitia Hugonis non segniter expetenda, sed omnino conandum, ne bene cæpta male abutamur. »

(3) *Id., ibid.* « Dux Hugo, nacta occasione ex dissensione Episcopi parisiensis et abbatis Gualonis, abbatem nostrum Airardum inter ceteros ad se venire orat. »

(4) *Id., ibid.*, p. 283, Sigefrido comitis filio Gerbertus, anno 985.

Digitized by Google

nomine paucis absolvimus. Lotharius rex Franciæ prælatus est solo nomine; Hugo vero, non nomine sed actu et opere. Ejus amicitiam si in commune expetissetis, filiumque ipsius cum filio Cæsaris colligassetis, jam dudum reges Francorum hostes non sentiretis (1).»

Nec Lotharium insidiæ quas isti machinabantur latuere. Itaque Archiepiscopo infensus se de sede Adalberonem detrusurum esse minabatur atque etiam necaturum. « Noveritis, scribit Gerbertus Theophaniæ imperatrici, etiam reges Francorum nos non æquis oculis intueri, eo quod de vestra fidelitate eis contraria sentiamus, simulque quod multa familiaritate fruamur Adalberonis Archiepiscopi Remorum, quem simili de causa insectantes infidissimum sibi putant... Res eo processit ut jam non de sua expulsione agatur, quod malum tolerabile esset, sed de vita et de sanguine certent. Hoc mihi secum commune est, quasi se contra conatus regios incitanti. Moles denique oppressionis tanta est vestrique nominis tanta invidia, ut suas miserias nullis audeat vobis significare rescriptis (2). » Adalbero autem, in tam difficili rerum articulo, se innoxium fidemque servatam testari «... quia senior meus de revocatione regni nihil dixerit, sed de sola advocatione, nec dandi licentiam clerico interdixerat, sed insuper benevole consenserat, ut a legatis meis intellexi, si ea facere vellet quæ pater suis spoponderat et proficiscentem absolvi et ut id pro quo obsides dati erant

(1) D. Bouquet, t. IX, p. 282.
(2) *Id.*, *ibid.*, p. 283.

Digitized by Google

sincerissime conservaret, fidem exegi, quam et hactenus obtulit et adhuc, ut credimus, offert. Gradum diaconatus ac presbyteratus ei contuli, ne a nobis emancipatus in accipiendo alteri manciparetur, et ne ecclesia nostra invidiæ pateret, subdiacono ex se ad episcopalem apicem assumpto; simulque quod hi gradus nec provincias, nec villas quæ regnorum sunt conferunt, sed quæ potius cœlestis sunt regni : id est adversari vitiis, coli virtutes. In quo mihi crimen perfidiæ ac infidelitatis protendebatur, ostendi, ut arbitror, et me fidem maxime habuisse et fidelitatem seniori meo imprimis conservasse (1). »

Mihi quidem dubium est an bona fide Archiepiscopus egerit, cum in odio perstet Gerbertus, ejus consiliorum omnium intimus particeps. Scholasticus autem de pace inter regem atque Hugonem composita mœste dolet ac regis proposita *innominato* denuntiat. « Conjuratio in filium Cæsaris ac in vos et acta est et agitur, non solum a principibus inter quos Carolus Dux jam non in occulto est, sed etiam a militibus quos spe aut metu allici est possibile. Dux Hugo XIV Calendas Julii regem ac reginam osculatus est tandem astutia quorumdam, ut in conjuratione tanti viri nomen fore putaretur : quod minime est nec fore putamus hac tempestate (2). » Planius etiam pellucet adversa mens hac *Invectiva in urbem Virdunensem*. «... Unitatem sanctæ Domini ecclesiæ scidisti, sanctissimam societatem humani generis abrupisti. Quid

(1) D. Bouquet, t. IX, p. 284. Purgatio Adalberonis.
(2) *Id., ibid.*, p. 284.

Digitized by Google

enim aliud egeris cum pastorem tuum voluntate hereditarii regis, consensu et favore comprovincialium episcoporum electum, ac insuper episcopali benedictione donatum, adhuc pertinax minime recognoscis? Teque velut membrum mutilum ac deforme, sine unitate corporis, ex oleo in oleastrum inserere tentas? Ideo pastorem non recognoscis quia regem tuum regno privare moliris. Non est tui juris creare novos reges ac principes, id est sub insolita transire juga. Gravissimum est peccatum tuum, impia civitas. Non confregit aries muros tuos, non fame infecti milites, nullo telorum genere pervasi sunt. Sanctuarium Domini corrupisti, sanctuarium Domini pervasisti ac possides. Spelunca latronum facta es... Revertere, revertere ad pacem ecclesiarum et ad unitatem regnorum, civitas virtutum expultrix, ac vitiorum receptrix (1). »

Itaque acrior in dies increscit ira regis « in quem cumulum ira furorque regis in nos proruperit, testis est impetus ejus repentinus et inopinatus, vixque sine multa cæde partium repulsus... VI cal. aprilis conventus Francorum indictus est, ibique crimine infidelitatis pulsabimur, quod episcopum Virdunensem licentia donaverimus, quodque in presbyterii honorem permoverimus (2). » De isto conventu nulla apud Richerium neque alios. Inimicitias etiam posuisse rex videtur, ut administrandæ diœcesi operam Archiepiscopus, timore excusso, impenderet. Is

(1) D. Bouquet, t. IX, p. 285.

(2) *Id.*, *ibid.*, p. 285. Imperat. Theophaniæ et filio Othoni, ex persona Adalberonis.

Digitized by Google

tamen de rebus publicis disserere cum suffraganeis episcopis nec omittit nec desinit, si saltem ex uno verbo talia inferre liceat. « Multa super statu ecclesiarum Domini, multa super publicis privatisque negotiis ratiocinaturi, cum vestræ diocœseos confratribus charissimo vos invitamus affectu, non tantum nostri quantum vestri causa honoris ac utilitatis (1). »

Cæterum amicitia, si qua fuit, male quidem sarta est. Rupto enim, ne unquam revocaretur, veteri fœdere, jam postquam a partibus Carlensibus recessit Remensis Archiepiscopus, totius fere ecclesiæ in Hugonem Capetum spes votaque et opes referuntur; ut, obeunte Lothario, eodem funere regia Caroli magni soboles extincta esse videatur (a. 986).

« Sepulto Lothario, ait Richerius, Ludovicus filius a Duce aliisque principibus in regnum subrogatur. Circumvallatur ergo ambitu universorum. Promittunt benevolentiam; spondent fidem (2) » Dum vero regis nomine et honoribus Ludovicus ornatur, re vera Hugo Capetus rex est et regia auctoritate utitur. Itaque stipatores « cum Duce ei commorandum asserebant, eo quod adolescens tanti principis prudentia simul et virtute informari indigeret; sibi quoque utilissimum fieri, si potentis dispositioni ad tempus cederet, cum sine eo nec regnandi potentiam habere ex integro posset, et per eum strenue atque utiliter omnia administrari valerent. Rex... collato cum

(1) D. Bouquet, t. IX, p. 285. Ad comprovinciales ex persona Adalberonis.
(2) Richerius, lib. IV, cap. 1.

Digitized by Google

Duce concilio, ei abinde tota mente addictus favit (1). »

Tam breve autem effluxit Ludovici regnum ut fere nulla ab eo gesta sint. Quum vero Adalberonem jamdudum odio prosequeretur, ira diu compressa erupit. « Adalbero Remorum metropolitanus episcopus, homo omnium quos terra sustinet sceleratissimus, contempto patris mei imperio, Othoni Francorum hosti in omnibus favit... Qui ut pœnas pro tanto commisso solvat, æquum et utile videtur quatinus pestilente compresso, metus adoriendi talia, quibusque pravis inferatur (2). » Quibus auditis, Adalbero perpaululum anxius est; nempe, cum ipsi Hugo faveat, quid periculi timendum? Quin imo vim vi repellere parat. Conscribit milites Gerbertus « nec satis sciam utrum exercitum ante autumnum in Italiam deducam, an in Germania demoremur, ut quamplurimas copias contra Ludovicum, regem Francorum, nisi quieverit, comparemus, qui amicis inquietissimus, pernitiosissimis hostibus non multum inquietus, quis sit, quidque de eo intelligi oporteat, velox exitus comprobabit (3). »

Attamen « rex tanto animo præceps in metropolitanum, assumpto Duce, cum exercitu fertur. Ipsam urbem appetit, atque irrumpere contendit (4). » At brevi, primo impetu residente, a proposito regem Hugo dimovendum curat. « Primatum tamen consilio usus, legatos præmi-

(1) Richerius, lib. IV, cap. 1.

(2) *Id*, *ibid.*, cap. 2.

(3) D. Bouquet, t. IX, p. 291. Raimundo Auriliacensi abbati Gerbertus, anno 987.

(4) Richerius, lib. IV, cap. 3.

Digitized by Google

sit, per quos quæreret, an episcopus resisteret regi an ex objectis purgari statuto tempore paratus esset. Si contra staret, sese mox obsidionem urbi adhibiturum dicerent, captamque urbem cum ipso hoste compressurum. Si vero objectis respondere non dubitaret, obsides ab eo sese accepturum ducturumque (1). » Conditionem pacis præpropere subit Adalbero. «... Si de præteritis agitur, regum salutem hactenus optavi. Eorum genus colui. Principum quoque commoda, pro ratione amavi. Si de præsentibus, regis jussa exequi non moror, obsides quos vult, trado; rationem contra objecta intendere non differo (2). »

Vocantur igitur proceres, ac Silvanectum devenit Archiepiscopus; sed quo tempore se criminibus purgaturus erat, Ludovicus ex improviso interiit (3).

Tempus aderat quo jamdiu optatum finem Capetiani erant assecuturi. Tum etiam patuit quanta auctoritate Episcopi valerent. Quum enim nullus Ludovici filius superesset, in controversiam veniebat, utrum jure hereditario ad patruum Carolum regnum transiret, an, transverso cognationis ordine posthabito, ad eum qui suffragiis evectus obtineret. Sententias autem de regno rogandas esse primus inter episcopos Remensis Adalbero censuit; cui cum plerique assensissent, nihil prorsus a solio Hugonem prohibuit. Sed Richeri enarrationem repetamus.

Rege mortuo, instat Dux Adalberonis purgationi. Pro-

(1) Richerius, lib. IV, cap. 3.
(2) *Id.*, *ibid.*, cap. 4.
(3) *Id.*. *ibid.*, cap. 5.

Digitized by Google

ceribus igitur in unum convocatis, « Dux sic orsus cœpit : huc ex locis diversis regio jussu vocati, ad discutiendum ea quæ summo pontifici Adalberoni objecta sunt, multa fide, ut puto, convenistis. Sed divæ memoriæ rex qui intendebat, quoniam hac vita privatus est, controversiæ statum nobis discutiendum reliquit. Si ergo præter eum est qui intendere audeat, eoque animo valet, ut exsequendæ litis partem arripiat, adsit coram, quid sentiat edicat, nihil metuens criminato intendat. Si vera proferat, ejus verborum approbatores nos sine dubio habebit ; quod si calumniator false confinxit, vocem supprimat, ne tanti facinoris argutus pœnas solvat. Ter acclamatum est, ut delator procederet, ter ab omnibus negatum est. » Nemo enim, rege excepto, archiepiscopo adversabatur, quippe cui Dux patrocinaretur cujus auctoritati nullus sane obsistere valuit. « Dux itaque iterum locutus est : si lis jam cecidit, quia qui intendat non est, metropolitano, ut pote viro nobili et multa sapientia inclito, cedendum est. Ab hac ergo suspitione penitus discedite, summumque præsulem multo honore excolite. Quid enim prodest suspitionem habere, cui in judicio non fuere vires quicquam dicere. » Sic crimine solutus in pristinam dignitatem restituitur Adalbero. « Ergo summo Pontifici, dux reliquorum primatum consensu, exsequendæ rationis honorem de utilitate regni attribuit, eo quod ipse divinarum et humanarum rerum scientia excelleret, atque facundiæ efficacitate plurimum valeret. (1) »

(1) Richerius, lib. IV, cap. 6 et 7.

Digitized by Google

Etenim archiepiscopi facundia quæque instruuntur. Ante proceres congregatos, quid esset agendum sine dubio Adalbero atque Hugo consuluerant. Itaque e suo periculo vix elapsus de republica sententiam archiepiscopus dicit. Ne inconsulte properari electio videatur, in aliud tempus differendam censet. « Rege nostro piissimo, inter intellectibilia translato, magni ducis ceterorumque principum benivolentia ab objectis purgatus, rei publicæ consulturus consedi.... commune consilium quœro, quia omnibus prodesse cupio. Cum videam non omnes principes adesse, quorum quoque prudentia et diligentia res regni administrari valeant, ratio querendi regis, ut mihi videtur, ad tempus differenda est, ut, statuto tempore, et omnes in unum confluant, et unius cujusque ratio elimata et in medium prolata suam utilitatem accommodet. » Sed ne quis nomen regium usurpet, omnes ad Hugonem, utpote qui interim regiam auctoritatem teneat, sacramento adigit. « Unde et vobis, qui hic consulturi adestis, placeat, vos mecum magno duci sacramento alligari et coram spondere de principe statuendo vos nihil quesituros, nihil molituros, donec in unum redeamus et sic de habendo principe agitemus. » Hæc sententia ab omnibus laudatur. Placitum indicunt in kalendas junii (1).

Interea Carolus, Lotharii regis frater, Remis Adalberonem adit, atque ita supplex, secundum Richerium, alloquitur. « Omnibus notum est, pater venerande, jure hereditario debere fratri et nepoti me succedere.... Cur ergo a finibus

(1) Richerius, lib. IV, cap. 8.

Digitized by Google

ejectus sum, quos a majoribus meis possessos nemo dubitat, cum frater non sit, neposque obierit, prolemque nullam reliquerint?... Abjectus ergo et infelix quo me potius vertam, cum etiam omnia generis mei præsidia extincta sint? Quos præter vos omnium honestarum rerum egens appellem? Per quos nisi per vos paternis honoribus restituar?... Tangat vos aliqua humanitatis miseratio. Compatimini tantis injuriis fatigato. » Sed frustra, longum fœdus oblivioni dederat Remensis Archiepiscopus, et « animo immobili persistens » verbis gravioribus respondet : « Cum perjuris et sacrilegis, aliisque nefariis hominibus ipse semper deditus fueris, nec ab eis adhuc discedere velis, quomodo per tales et cum talibus ad principatum venire moliris. ? Tandem sine principum consensu se super hoc nihil facturum respondens, ab eo dimotus est (1). » Tanta fuit archiepiscopi auctoritas, ut Carolus, cujus preces aversatus erat, ne in conventum quidem venerit, et « spe regni decidens, animo turbato, in Belgicam iter dimovit. »

Tempore constituto, ubi principes Sylvanecti in curiam convenere, Duce annuente, metropolitanus orationem habuit. Regnum rege vacare imprimis asserit : « Divæ memoriæ Ludovico sine liberis orbi subtracto, querendum multa deliberatione fuit qui ejus vices in regno suppleret, ne res publica, absque gubernatore neglecta, labefactaretur. » Contra jus hereditarium repugnat :

(1) Richerius, lib. IV, cap. 9 et 10. Cf. Epistolam Adalberonis eidem Carolo inscriptam apud rer. Gallic. scriptores, t. X, p. 394.

Digitized by Google

« Non ignoramus Carolum fautores suos habere, qui eum dignum regno ex parentum collatione contendant. Sed si de hoc agitur, nec regnum jure hereditario adquiritur, nec in regnum promovendus est nisi quem non solum corporis nobilitas, sed et animi sapientia illustrat, fides munit, magnanimitas firmat (1). » Inde in Carolum vehementius : « Quid dignum Carolo conferri potest, quem fides non regit, torpor enervat, postremo qui tanta capitis imminutione hebuit, ut externo regi servire non horruerit et uxorem de militari ordine sibi imparem duxerit. » Ante omnia reipublicæ saluti inserviendum : « Considerate rem diligenter et Carolum sua magis culpa præcipitatum quam aliena videte. Reipublicæ beatitudinem magis quam calamitatem optate : Si eam infelicem fieri vultis, Carolum promovete; Si fortunatam, egregium ducem Hugonem in regnum coronate. » Summis tandem laudibus Ducem ornat : « Promovete igitur vobis ducem, actu, nobilitate, copiis clarissimum, quem non solum rei publicæ, sed et privatarum rerum tutorem invenietis.

(1) Cf. Apud D. Bouquet, t. x, p. 394, Carolo duci Adalderonis epistolam, quâ significare videtur archiepiscopus tunc in usu fuisse ut reges nostri a Franciæ proceribus eligerentur. *Ibid.*, p. 627, D. Bouquet asserit : « Penes Francos tunc temporis jus constans fuisse eligendi suos reges. » Hanc sententiam plane firmant Abbonis abbatis canones. *Ibid.*, p. 628. « Tres electiones generales novimus, quarum una est regis vel imperatoris, altera Pontificis, tertia abbatis. Et primam quidem facit concordia totius regni; secundam vero unanimitas civium et cleri; tertiam sanius concilium cœnobialis congregationis. Et unaquæque non pro secularis amicitiæ gratia vel pretio, sed ad suam professionem pro sapientia vel vitæ merito. »

Digitized by Google

Ipsa ejus benivolentia favente, eum pro patre habebitis. Quis enim ad eum confugit, et patrocinium non invenit? quis suorum auxiliis destitutus, per eum suis non restitutus fuit? » (1).

Eo magis orator laudatus est, quod jamdudum idem congregati principes sentiebant. Itaque Dux « omnium consensu in regnum promovetur et per metropolitanum aliosque episcopos Noviomi coronatus, Gallis, Britannis, Dahis, Aquitanis, Gothis, Hispanis, Wasconibus, rex kalendis jun. prærogatur (2). » Quo pacto se gratum episcopis præbuerit Hugo, exquirere mihi in animo est; at prius de Carolo paucis absolvamus.

Hugone regnante, Carolus in regno vi dolisve recuperando molitur. Eodem tempore Adalbero Laudunensis « suis civibus plus justo injurias de lege agraria irrogabat. » Unde quidam clam ab eo discedentes, benevolumque animum nihilominus simulantes, exploratoribus Carolum sese in urbem recepturos promittunt. Nec omittendum est Carlovingianos Laudunum diu coluisse, et cives, si conjici liceat, sibi conciliasse, qui dolo intromissum Carolum accipiunt. Episcopus vero, cum per declivia montis jam elapsus et in vineis ab observatoribus repertus esset, ad Carolum adductus est, et ab eo in carcerem jactus. Emmam quoque reginam, cujus instinctu sese repulsum esse a fratre arbitrabatur, comprehendit, eique custodes adhibuit (4).

(1) Richerius, lib. IV, cap. 11.
(2) *Id.*, *ibid.*, cap. 12.
(3) *Id.*, *ibid.*, cap. 15.
(4) *Id.*, *ibid.*, cap. 16.

Digitized by Google

At paulo post Episcopus « funibus per fenestram demissus, tempore nocturno equo vectus aufugit. Et ut se Carolo non favisse monstraret, ad reges sese contulit et a tanta suspitione purgavit (1). » Interea, vere favente, (anno 989) Hugo filiusque ejus Robertus, in societatem regni admissus, Laudunum exercitu magno circumdant. Quibus strenue repugnat Carolus, et, mense Augusto, castris ferro et incendio vastatis, dum fugam properant, exultat. Mox prout opes augentur, spes etiam crescunt.

Incipiente anno 990, obiit Archiepiscopus Adalbero (2). Fidem usque in summam diem Hugoni præstitit : « Per legatos regi, tunc Parisii commoranti, indicavit sese in gravem valitudinem decidisse; unde et ei maturandum, ne Karolus qui cetera Remos etiam pervaderet. » Rex vero, Adalberone jam mortuo, Remos intravit (3). « In

(1) Richerius, lib. IV, cap. 20. Cf. Epistolam ad Episcopos ex persona Adalberonis Laudunensis, apud D. Bouquet, t. IX, p. 288.

(2) Graviter dolet Gerbertus de Adalberonis morte. Apud D. Bouquet, t. X. «... Repente sic eo privatus sum, ut me superesse expavescerem. Quippe cum esset nobis cor unum et anima una, nec hostes ejus putarent translatum, cum me superesse viderent.... p: 406. » — « Id momentum ac ea vis erat Domini mei et patris mei Adalberonis in causis pendentibus ex œterno, ut eo in rerum principia resoluto, in primordiale chaos putaretur mundus relabi... p. 400. » — Se ab Adalberone, designatum fuisse qui in sedem succederet, scribit Gerbertus : « Taceo de me, cui mille mortes intendebantur; et quod pater Adalbero me successorem sibi designaverat, cum totius cleri et omnium episcoporum, ac quorumdam militum favore; et quod omnium rerum quæ displicerent, me auctorem fuisse contenderent. »... *Ibid.*

(3) Sedem Remensem esse maximi momenti auctores coœvi testantur. Ad

Digitized by Google

exsequiis etiam pontificis plurima commiseratione condoluit. Nec vero sine lacrymis aliquot de eo querimonias habuit; corpus quoque multo honore sepulturæ dedit. » Deinde civibus sacramento obligatis « eisque libertate eligendi Domini quem vellent concessa » rex recessit. (1).

Interea per quosdam aulicos a rege sedem Remensem Arnulfus, Lotharii filius nothus expetit; « Karolum quoque patruum sese deserturum mandat, fidem spondet; contra hostes etiam regis plurima nisurum ; urbem Laudunum ab hostibus pervasam, in brevi redditurum (2). » Quid de flagitatione et promissis statueret aliquandiu incertus est Hugo, eo quod, cum suspectum Arnulfum haberet, tum plurimum utilitatis percepturus esse arbitrabatur si a Lotharii filio pro rege agnosceretur, et unus ex Carlensibus sacramento adstringeretur. Remos denique iterum petit, et, civibus vocatis, pro Arnulfo suffragia rogat: « Cujus promissiones et fidem, ad vestrum contuli examinanda juditium, ut aut vestro approbetur examine, aut improbetur. Ille petitionibus instat. Potestatis vestræ sit, utrum quod petit accipiat; nec vero in quoquam ei a me fautum est; nihil etiam deliberatum. Quid-

Gregorium V Abbonis epistola, apud D. Bouquet, t. x, p. 436 : « Nobilissimam omnium gallicanarum ecclesiarum; » *ibid.*, p. 424, Adelaïdæ reginæ et episcopis epistola Gerberti : « Regni Francorum caput; » *ibid.*, p. 518, In concilio sancti Basoli, Gualterius Augustidunensis ecclesiæ episcopus : « Templum Dei per orbem terrarum famosissimum. »

(1) Richerius, lib. IV, cap. 24.

(2) *Id., ibid.*, cap. 25.

Digitized by Google

quid id foret, utile duxi ad vestram deferri debere censuram, ut si honestum fiat, vobis utilitatem et mihi gloriam comparet. Si autem pernitiosum, ego quidem nullius perfidiæ, nullius doli, nullius fallatiæ penitus arguar. Vos vero aut suffecti doli falsam opinionem cum doloso subibitis, aut si non, in desertorem manus assidue exseretis (1). » Respondent cives : «... Quia ejus utpote adolescentis mores affectusque incertos habemus, nostras solummodo rationes non sufficere ad hæc arbitramur. Adsint ergo qui vobis id suadent. Conferamus utrimque rationes (2). » Quibus peractis, Arnulfus tandem suffragiis ad Episcopatum provectus est, postquam nihilominus fidem suam regi sacramento obstrinxit, et « cirographum bipertitum jussus notavit. » Subjicit Richerius « quod cum regi penitus sufficeret, episcopis tamen, ut fertur, non satis id visum est, nisi illud etiam adderetur, ut in missarum celebratione eukaristiam a sacerdote sumeret, eamque perditionis causam sibi imprecando coram optaret, si fidem violando umquam desertor fieret. Quod et factum fuit (3). »

(1) Richerius, lib. IV, p. 26.

(2) Richerius, lib. IV, cap. 27. — Gerbertus, quasi sui immemor, Arnulfi virtutem summis laudibus exornat. D. Bouquet. t X, p. 401, ex persona Remensis ecclesiæ : « .... eligimus nobis in præsulem virum pietate præstantem, fide insignem, constantia mirabilem, in consiliis providum, rebus gerendis aptum. In quo hæ virtutes, quæ sic clare relucent indicio sunt ceteras abesse non posse.... Eligimus ergo hunc Arnulfum hinc ortum, hic educatum, simoniacæ hæresis expertem, a factione tyrannica remotum, sua cuique debita jura reddentem, sanctuarium Dei non dissipantem. »

(3) *Id.*, *ibid.*, cap. 30.

Digitized by Google

Attamen vix Hugo Parisiis redux erat, cum dolos, proditionemque machinatur Archiepiscopus, « qui illud infortunii genus arbitrabatur, quod ipse superstes de patrio genere nullum præter Karolum habebat. Miserrimum quoque sibi videri, si is honore frustraretur, in quo solo spes restituendi genus paternum sita foret. Patruo itaque miserescebat; illum cogitabat, illum colebat, illum pro parentibus carissimum habebat. Apud quem collato consilio, quærebat quonam modo in culmen honoris illum provehere posset, sic tamen ut ipse regis desertor non appareret (1). » Qua autem fraude usus civitatem seque ipsum, quasi vi expugnatum, Carolo tradiderit, quo *monitorio* etiam in iram simulato invadentium nefariam audaciam mulctaverit, satis, ut prætermittere liceat, cuique notum. Ita Carolus « felici successu insignis, Remorum metropolim cum Lauduno, ac Suesionis, earumque oppidis optinuit (2). »

Jam igitur, fortuna indulgente, Carolus æquis viribus dimicaturus imminet. Alterum Carolum alter Fulco in regnum restituendum prospere moliri videtur. Tunc occurrit, qui anxii Hugonis curas abstergeat, Adalbero Laudunensis. Jamdiu « omni ingenio opportunitatem quærebat

(1) Richerius, lib. IV ,cap. 32.

(2) Richerius, lib. IV, cap. 36. — Gerbertus apud Arnulfum ex epistolis erat, ejusque consiliis favebat. Inde ea quæ Adalberoni Laudunensi scribebat. D. Bouquet, t. X, p. 402 : «... Divi Augusti Lotharii germanus frater heres regni regno expulsus est. Ejus æmuli, ut opinio multorum est, inter reges creati sunt. Quo jure legitimus heres exheredatus est, quo jure regno privatus est ? »

Digitized by Google

qua versa vice et Laudunum caperet et Carolum comprehenderet. » Brevi machinatio paratur. In gratiam cum Arnulfo metropolitano redire simulat, per quem amicitiam Caroli recuperat. Tunc « in loco constituto Carolo et Arnulfo accitus occurrit. A quibus benigniter exceptus, non mediocrem letitiam repperit. Jus amicitiæ inter sese exinde amplius colendum, diversis rationibus extulere... Necnon et illud libatum est, in brevi fieri posse, et suæ partis provectionem et hostium præcipitationem. » Quin imo paulo post, cum partes suas in insidiis machinandis rex ipse ageret, Arnulfus, sub specie purgationem audiendi, arcessitur. Cui Hugo : « Sibi sufficere ut a præteritis quiesceret, et exinde sibi fidem inviolabiliter servaret.... Sed quia id factum erat, quod labefactari non poterat, multa ratione ei esse videndum, ut amissæ urbis dampnum aliquo modo suppleret. Si urbem habere ut ante non posset, saltem Carolum ad se transire faceret, ut se consentiente, quod pervaserat teneret. Hæc et ampliora Arnulfus sese facturum pollicetur, tantum ut regis gratia sibi reddatur, et ipse apud eum ut metropolitanus honoretur. Rex gratiam indulsit, et ut plurimum coram se honorem haberet concessit. Unde et factum est, ut in prandio die eadem regi dexter, Adalbero reginæ levus resideret (1). »

Exinde præceps in exitium infelix Carolus maturat. Adalbero Laudunum petit, et expostulata quæque spondet. « Adsunt sancta, ait Carolus, superponite dextram,

(1) Richerius, lib. IV, cap. 41, 42, 43, 44 et 45.

Digitized by Google

fidem contra omnes spondete. Exceptio nulla erit, si vultis mihi comes fieri. » Ille sui voti avidus « Quidquid expetitur spondet. » Et se ab omni suspicione vacuum facit. « De urbe munienda, ipse querit et deliberat. Omnium causam sciscitatur. Pro omnibus consultat. Quare ignotus cunctos latuit.... Tanta cautela calliditatis usus, ut omnino dolum simulationis colore obvelaret (1). » Ubi tandem Caroli fautorum et ipsius habitus et mores pervidit, ad eventum proditionem ducit, qua nulla in media ætate gravior (2). Nocte quadam, dum novissimo sacramento securi Carolus et Arnulfus tranquillo sommo indulgent, sopitos catenis vincit Adalbero, et regi vocato catenatos tradit.

(1) Richerius, lib. IV, cap. 46.

(2) *Id., ibid.*, cap. 47, 48 et 49. « Cum nocte quadam inter cenandum Hilaris resideret, Carolus craterem aureum, in quo panem infregerat vinoque temperaverat tenens, post multum cogitatum ei obtulit : « quoniam, inquiens, ex patrum decretis palmas et frondes hodie sanctificastis, atque plebem sacris benedictionibus consecrastis, nobisque eukaristiam porrexistis, aliquorum susurronum calumnias qui vobis fidendum negant vilipendens, cum instet dies passionis Domini et Salvatoris Nostri Jesu-Christi, hoc vasculum vestræ dignitati aptum, cum vino et pane infracto vobis porrigo. Hoc poculum in signo habendæ et servandæ fidei ebibite. Si vero fidem servare animo non stat, poculo parcite, ne horrendam Judæ proditoris speciem referatis. » Quo respondente : « Craterem recipiam, et potum libere ebibam ! » Karolus mox prosecutus addendum dixit : « et fidem faciam. » Ille ebibem prosecutus est : « et fidem faciam ; alioquin cum Juda interem ! » Et multa his similia anathematis verba cenantibus dedit. Nox futuri luctus et proditionis conscia instabat. Etenim dormientibus Karolo et Arnulfo, gladios et arma a capitibus eorum amovit. Deinde quosdam proditionis

Digitized by Google

Ita quem in regnum disertus archiepiscopus provexerat, eumdem proditor episcopus firmavit.

participes vocat. Karolus et Arnulfus matutino somno oppressi, quiescebant. Coram quibus cum hostes facto agmine adessent, et illi expergefacti adversarios advertissent, a lectis prosilientes et arma capessere nitentes, nec reperientes, querunt quidnam matutinus eorum afferat eventus. Adalbero vero : « quoniam, inquit, arcem hanc mihi nuper surripuistis et ab ea exulem abire coegistis, et vos hinc dissimili tamen fortuna pellemini. Ego enim proprii juris remansi; vos alieno subibitis. » Ad hec Karolus : « An, inquit, O episcope, hesternæ cenæ memor sis nimium miror. Non ergo ipsa Divinitatis reverentia inhibebit ? Nihilne jus sacramenti ? Nihil hesternæ cenæ imprecatio ? » At frustra deprecatur vel minas intendit; comprehensi Karolus et Arnulfus in turri includuntur. Sine mora legatos ad regem mittit Adalbero, qui omnia prospere patrata nuntient. Ubi advenit Hugo, se illius fidei tradunt cives, et cum captis inimicis Silvanectum redit.

Digitized by Google

PARS POSTERIOR.

Capetianis præstantibus, feudatorium regimen etiam præstitisse haud inficias eo. Hugo vero nihil de regio jure remitti, et non modo non ordinem novum institui, imo se in locum Caroli magni sobolis subrogari, ubique et variis modis significat. « Stipatus regnorum principibus, ait Richerius, more regio decreta fecit, legesque condidit, felici successu omnia ordinans, atque distribuens (1). » Tum etiam Caroli capitulis, ut quodam modo temporum series continuaretur, diplomata sua corroborare (2); proceres ultra Ligerim rebellantes sub jus ditionemque redigere (3); quin imo, Caroli instar, imperatorum Constantinopolitanorum societatem per connubium ambire (4).

Is autem, ut proceres divisum imperium usque affectantes superemineret, episcoporum auxilio nitebatur, qui regnum unius esse semper voluerunt. « Et ut beatitudini

(1) Richerius, lib. IV, cap. 12.
(2) Hugonis diplomata ap. Rer. Gallic. script. t. X, p. 548.
(3) *Ibid.*, p. 145. Ex chronico Adhemari Cabanensis.
(4) *Ibid.*, p. 410. Gerberti epistola.

Digitized by Google

suæ responderet, multo successu rerum secundarum levatus, ad multam pietatem intendit (1). » Jurat se res ecclesiæ tuiturum esse et etiam aucturum : « Hugo Deo propitiante mox futurus rex Francorum, in die ordinationis meæ promitto, coram Deo et sanctis ejus, quod unicuique de vobis mihi commissis canonicum privilegium et debitam legem atque justitiam conservabo. et defensionem, quantum potuero, adjuvante Domino, exhibebo, sicut rex in regno suo unicuique episcopo et ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet, populoque nobis credito me dispensationem legum in suo jure consistentem nostra auctoritate concessurum (2). » Quum episcopi quidam regis electi auctoritati repugnarent, ne forte infirmaretur novum fœdus, eorum petulantiam tum promissis tum minis refrenavit (3).

In carcerem conjiciebatur Arnulfus dignitate necnon et nomine et genere princeps inter episcopos. Quem cum a sede deturbare Hugo statuisset, episcopi adeo jam stricte Capetianorum causæ devincti erant, ut Carlen-

(1) Richerius, lib. IV, cap. 12.

(2) Rer. Gallic. scrip., t. X, p. 658.

(3) *Ibidem*, page 392. Epistola archiepiscopo Seguino ex persona regis Hugonis. « .... Honeste ac benigno affectu vos monemus, uti ante kalendas novembris, eam fidem, quam cæteri nobis firmaverunt, confirmetis ob pacem et concordiam sanctæ Domini ecclesiæ, totiusque populi christiani : ne si forte, quod non optamus, persuasione quorumdam pravorum diligenter vobis exsequenda minus audiatis, sententiam Domini papæ et comprovincialium episcoporum duriorem proferatis, nostraque omnibus nota mansuetudo justissimum correctionis assumat zelum regali potentia. »

Digitized by Google

sem principem, imo unum e suis vexare non dubitarent.

Id imprimis curat Hugo, ut a Papa Arnulfus in jus vocetur, et ab eo sententiam rogat. « Novis atque inusitatis rebus permoti, summo studio summaque cura, vestra consilia expetenda decernimus : quippe cum sciamus vos omne tempus in humanis ac divinis studiis exegisse. Considerate ergo quæ facta sunt et facienda præscribite : ut et sacris legibus suus honor reddatur et regalis potestas non annulletur... Ergo qui vices apostolorum tenetis, statuite quid de altero Juda fieri debeat, ne nomen Dei per nos blasphemetur et ne forte justo dolore permoti ac vestra taciturnitate, urbis excidium totiusque provinciæ moliamur incendium. Nec Judici Deo excusationem prætendetis, si nobis quærentibus atque ignorantibus, formam judicii dare nolueritis (1). »

Remorum quoque diœceseos suffraganei ut Arnulfus a sede removeatur postulant. « ... Non sumus nescii, beatissime Pater, jamdudum oportuisse nos expetere consulta sanctæ romanæ ecclesiæ pro ruina atque occasu sacerdotalis ordinis : sed multitudine tyrannorum pressi, longitudine terrarum remoti, desideria nostra hactenus implere nequivimus. Nunc itaque vestro examini non sine magno dolore perferimus novum atque inusitatum crimen Arnulfi Remorum Archiepiscopi, qui, famosus apostata factus, locum Judæ traditoris olim in ecclesia tenet... (2). » Quum nullum responsum a papa veniret, rex et episcopi,

(1) Sacrosancta concilia. Labbe, t. IX, col. 737.
(2) *Id., ibid.*, col. 738.

Digitized by Google

invito Papa, in judicium Arnulfum vocare statuunt. Num a Romana Gallicam ecclesiam sejungere et eam sui juris facere rex voluerit, asseverare non ausim, etsi, verbis episcoporum perpensis, id non temere conjici liceat. Ad hoc Roma, summa ignorantia, vitiis, servitute, quasi obruta videbatur; in Gallia vero præcipui episcopi litteris et doctrina florebant.

Igitur concilium indicit Hugo : « Edicto regio decretum est, ut episcopi Galliæ omnes qui valent et maxime qui cumprovinciales sunt, in unum conveniant; qui autem adesse non possent, suam absentiam per legatos idoneos a suspitione purgarent (1). » Pauci tamen episcopi adfuerunt; incertum an Romæ metu, an regis invidia, an ne episcopum episcopi regum gratia damnarent (2).

Acta remensis vel sancti Basoli concilii a Gerberto digesta Richerius in breve coegit. Quæ autem acerbe repudiant Labbeus (3), Baronius (4). Benedic-

(1) Richerius, lib. IV, cap. 51.

(2) Concilium Remense, D. Bouquet, t. X, p. 514. « Actum est autem magna industria principum, ut, quia omnes Galliarum episcopi eo convenire non poterant, propter quasdam regni necessitudines, in maxime convenirent qui cumprovinciales essent, deinde ex vicinis provinciis fama et dignitate honestiores. »

(3) Concilia, t. IX, col. 737. Sic Binius : « Acta concilii germana, pura, simplicia et sincera, sicut ab exceptoribus notariis, vel aliis scripta fuere, non exstant. Gerbertus, Arnulfi adversarius, in hoc conciliabulo ad Rem. archiepiscopatum evectus, et a Romano Pontifice deinceps amotus, eadem acta edidit, sed paraphrastice et rhetorico magis quam historico more.... non tam synodus quam pseudosynodus appellanda erat. »

(4) Annales ecclesiastici, t. XVI, p. 304.

Digitized by Google

tini vero, si non verba, sententiam saltem admittunt (1).

Præerat Seguinus Senonensis Archiepiscopus « quem et ætas et vitæ meritum ac scientia commendabat (2). » Reo Archiepiscopo aperte favebat; sed ejus parum valebat auctoritas. Præstabat enim Arnulfus Aurelianensis qui « ordinis custos ac omnium gerendorum interpres declaratus est eo quod inter omnes Galliarum episcopos sapientia et eloquentia clarior haberetur. »

Cum vero concilii acta repetere haud utile duxerim, ad hoc solummodo velim attendas, cunctos episcopos et etiam Arnulfi cognatum Bovonem Lingonensem, Archiepiscopum, tanquam erga Regem summâ vi studium declararent, insectatos esse. Solus, ut videtur, Seguinus Arnulfum esse episcopum meminit, et ratus totius ecclesiæ dignitatem salutemque in discrimen venire, si proprio motu unum e suis regi injuriam vindicanti traderent, « non id sese permissurum respondit, ut is qui majestatis reus accusatur sub discutiendi censura ponatur, nisi ante ex jurejurando promissionem indulgentiæ, ab regibus et episcopis accipiat. » Rogat ipse Aurelianensis Arnulfus ut defensores si qui sint pro parte rei agentes audiantur. Tum surgunt ab episcopis dissidentes monachi qui romanæ sedis fautores recte de Arnulfo judicandum esse, nisi comprobante Papa, negant. Hæc erat falsarum

(1) T. x, p. 513. « Vix ac ne vix quidem dubitat Rivetus, quin sinceram concilii sancti Basoli narrationem acceperimus. Gerbertus præter stylum nihil huc de suo attulit nec afferre potuit.... »

(2) *Ibid.*, p. 514. Cf. Richerium, lib. IV, cap. 52.

Digitized by Google

decretalium doctrina, nuper in Galliam allata, qua promotor concilii quasi impeditus se expedire frustra conatur. Idcirco plura in monachos retorsit Arnulfus, quæ in unum a Gerberto congesta sunt (1). Hæc est illustris disertaque gallicanarum doctrinarum professio. Quosdam afferam locos.

Quam romana ecclesia repetit reverentiam, intra certos fines orator coercet. « Nos vero, reverendissimi patres, romanam ecclesiam propter B. Petri memoriam honorandam decernimus, nec decretis romanorum Pontificum obviare contendimus; salva tamen auctoritate Nicæni concilii, quod eadem romana ecclesia semper venerata est... Quid ergo? num privilegio romani Pontificis derogabimus? minime. Sed si romanus episcopus is est quem scientia et vitæ meritum commendet; nec silentium, nec nova constitutio metuenda sunt. Quod si vel ignorantia, vel metu, vel cupiditate abalienatur, vel conditio invidiam facit, quod fere sub hæc tempora vidimus, Romæ tyrannide prævalente; tunc multo minus idem silentium et nova constitutio formidanda sunt. Non enim is qui quolibet modo contra leges est, legibus præjudicare potest (2). »

In medium vocat flagitia quibus apostolica sedes fœdatur. « Sed o lugenda Roma, quæ nostris majoribus clara patrum lumina præbuisti, nostris temporibus monstrosas tenebras, futuro sæculo famosas effudisti! Olim accepi-

(1) Arnulfi liberiorem orationem in historiam inserere non ausus est monachus Richerus.

(2) Rer. Gallic. script., t. x, p. 523.

Digitized by Google

mus claros Leones, magnos Gregorios. Quid dicam de Gelasio et Innocentio qui omnem mundanam philosophiam sua sapientia et eloquentia superant ?.... Quid sub hæc tempora non vidimus? Vidimus Johannem cognomento Octavianum in volutabro libidinum versatum.... Succedit Romæ in pontificatu horrendum monstrum Bonifacius, cunctos mortales nequitia superans, etiam prioris pontificis sanguine cruentus.... » Inde quatenus ecclesiæ liberæ esse debeant exponere suscipit. « Num talibus monstris, hominum ignominia plenis, scientia divinarum et humanarum rerum vacuis, innumeros sacerdotes Dei per orbem terrarum, scientia et vitæ merito conspicuos, subjici decretum est ?... Quid hunc, reverendi patres, in sublimi solio residentem, veste purpurea et aurea radiantem; quid hunc, inquam, esse censetis? Nimirum si charitate destituitur, solaque scientia inflatur et extollitur, Antichristus est, in templo Dei sedens et se ostendens tanquam sit Deus. Si autem nec charitate fundatur, nec scientia erigitur, in templo Dei tanquam statua, tanquam idolum est; a quo responsa petere, marmora consulere est... » Romæ ignorantiam acerbe increpat. « Sed cum hoc tempore Romæ nullus pene sit, ut fama est, qui litteras didicerit, sine quibus, ut scriptum est, vix ostiarius efficitur, qua fronte aliquis eorum docere audebit, quod minime didicit?... » Deinde postquam Arnulfi singula quæque crimina confirmavit, et defensorum verba curiose perpendit, iterum in Romanam sedem invehitur, atque ita orationem absolvit. Jam pene omnes dicit a supremo pontifice discedere «... Sed o infelicia tempora!

Digitized by Google

quibus patrocinio tantæ frustrantur ecclesiæ. Ad quam deinceps urbium confugiemus, cum omnium gentium dominam humanis ac divinis destitutam subsidiis videamus? Ut enim planius dicamus palamque fateamur, post imperii occasum hæc urbs Alexandrínam ecclesiam perdidit, Antiochenam amisit; et ut de Africa taceamus atque Asia, ipsa jam Europa discedit. Nam Constantinopolitana ecclesia se subduxit : interioria Hispaniæ ejus judicia nesciunt. Fit ergo discessio, secundum apostolum, non solummodo gentium, sed etiam ecclesiarum : quoniam cujus ministri Gallias occupaverunt, nosque totis viribus premunt, Antichristus instare videtur.... ipsa insuper Roma, jam pene sola, a se ipsa discedit, dum neque sibi, neque aliis consulit etc. (1). »

Orationibus Arnulfi et episcoporum sententiis ei favéntium victi cedunt defensores. Tunc ab omnibus derelictus Lotharii infelix filius cum seipsum purgare frustra tentavisset, « argumentorum rationibus succubuit, et sese reum ac sacerdotio indignum coram confessus est (2). » Quin imo, episcopis suadentibus « regum pedibus prostratus, crimen confessus est; et sacerdotio se indignum asserens, pro vita et membris suffusus lacrimis postulabat. Unde et universam synodum in lacrimas coegit. Reges multa pietate flexi, vitam et membrorum integritatem indulgent. » Dein insignia exuit, et libellum abdicationis coram regibus in concilio legit atque subscripsit (3).

(1) Rer. Gallic. scrip., t. x, p. 526.
(2) Richerus, lib. iv, cap. 69.
(3) *Id.*, *ibid.*, cap. 70, 71 et 72.

Digitized by Google

Sic vero corruit ultimum, quo sustentaretur Carolina domus, fulcimentum. Nunc supersunt e regia prole princeps in vincula conjectus et episcopus quem ignominia sodales notavere. Solus episcopatu abrogati tutelam suscepit Seguinus; « ea de causa regem acriter redarguit, unde ejus odium in se concitavit (1). »

Arnulfo autem dejecto, quem in locum ejus substitueret elegit Hugo. Nec petitores deficiebant. Rex vero, longa rerum experientia doctus, viros genere et opibus valentes neglexit, atque cum archiepiscopum quæreret qui eo magis devotam fidem servaret quo humiliori loco oriundus esset, Gerbertum monachum respexit (2). Is autem Adalberone olim familiarissime usus, vi mentis, scientia, dicendi arte, dignus erat qui primam Galliarum sedem teneret. Præterea in rebus publicis gerendis ingenium acutum, summamque solertiam exercuerat. Gerbertum quidem aliquando inhoneste se gessisse perhibent. Dicitur partes alias, prout commoda poscerent, alio tempore adjuvisse, et etiam duobus adversariis una inserviisse, adeo ut stylo versatili contumelias contumeliis retorqueret ab ipso prius scriptas (3). Si vero forte requiras an Gerberto auctore Arnulfus a sede deturbatus sit, hoc crimine sese vehementer purgat in epistolis et orationibus (4).

(1) Gallia Christiana, t. IX, col. 60.

(2) Rer. Gallic. script., t. X, p. 416. Epistola Gerberti ad Wilderodum «.... Fateor me nescire cur egenus et exsul, nec genere, nec divitiis adjutus, multis locupletibus et nobilitate parentum conspicuis prælatus sit.»

(3) *Ibid.*, t. IX, p. 280.

(4) *Ibid.*, t. X, p. 414. Epist. Gerberti ad Wilderodum.

Digitized by Google

Nihilominus male apud omnes audiebat, ita ut, cum Remensium civium odium, fastidiaque pateretur, tempus desideraret quo humilis monachus in cœnobio obscuram vitam degeret (1). Attamen ubi eo adductus est ut dignitate, instantibus adversariis, spoliaretur, tum firmo animo atque summa vi aggredientibus obstitit.

Johannes autem Papa Hugoni Capeto regnum usurpanti minime se infensum præbuit. Sed Galliarum episcopos ægre tulit in decretalia rebellantes. Itaque statim ab eo missus in Galliam legatus qui Arnulfum in sedis possessionem restitueret, atque episcopis, concilii sancti Basoli participibus, sacris interdiceret. Inde Gerbertus pugnæ se accingere, sententias actaque concilii tueri, episcoporum animos erigere, pontifici romano obsistere. His verbis labantem Seguinum et quid faciat incertum incitat «.... Romæ dicitur esse qui ea, quæ damnatis, justificet, et quæ justa putatis damnet : et nos dicimus quod Dei tantum est et non hominis, ea quæ videntur justa damnare, et quæ mala putantur, justificare.... Quomodo ergo nostri æmuli dicunt, quod in Arnulfi dejectione, Romani episcopi judicium expectandum fuit? Poteruntne docere Romani episcopi judicium Dei judicio majus esse! Sed primus Romanorum episcopus, immo ipsorum apostolorum princeps clamat : *Oportet obedire Deo magis quam hominibus.* Clamat et ipse orbis terrarum magister Paulus : *Si quis vobis annunciaverit præter quod acce-*

(1) Rer. Gallic. script., t. x, p. 418. Abbati sancti Geraldi et fratribus Gerbertus.

Digitized by Google

pistis, etiam angelus de cœlo, anathema sit... Quod si propterea sua communione nos indignos ducit, quia contra evangelium sentiendi nullus nostrum consentit, non ideo a communione Christi nos separare poterit... Quod si hic qui vitam ademit corporalem vel sibi, vel alteri, homicida est : hic qui sibi, vel alteri, vitam adimit sempiternam, quo nomine appellandus est?... Sit lex communis ecclesiæ catholicæ Evangelium, apostoli, prophetæ, canones Spiritu Dei constituti, et totius mundi reverentia consecrati, decreta sedis apostolicæ ab his non discordantia : et qui per contemptum ab his deviaverit, per hæc judicetur, per hæc abjiciatur. Petro hæc servanti, et pro viribus exequenti, sit pax continua et continuo sempiterna... Iterum valete et a sacrosanctis et mysticis suspendere vos nolite. Qui enim accusatus ante judicem tacet, confitetur : et qui judice judicante pœnæ se addicit, confitetur... Repellanda igitur falsa accusatio et contemnenda illegalis judicatio; ne, dum volumus videri innocentes coram ecclesia, efficiamur nocentes (1). » Gerbertus vero, utpote qui præcipue argueretur, judicibus occurrit. « Nunc ad votum meorum hostium, quia ex toto orbe fieri non potest, saltem ex toto nostrorum principum regimine, ut universale cogatur concilium, modis quibus valeo, claboro. Eo conveniendi et disceptandi non solum curiosis, sed etiam hostibus libera datur facultas. Tantum quippe a nobis abest maleficium, tantumque in innocentia confidimus, ut regulare judicium non solum non devite-

(1) Rer. Gallic. script., t. x, p. 413. Seguino Gerbertus.

Digitized by Google

mus, sed etiam quasi toto orbe fugiens prosequamur... Novit Dominus qui sunt ejus, novit qui sui permoveantur zelo. Sed si Deus pro nobis, qui contra nos?... (1). »

Universali concilio nondum indicto, synodus apud Chelam habetur, ubi arctissimum fœdus ineunt episcopi. « Hujus temporis diebus, ait Richerus, cum a papa romano abdicatio Arnulfi et promotio Gerberti plurimis epistolarum scriptis calumniarentur, episcopi quoque rei hujusmodi auctores, simulque et alii cooperatores, diversis reprehensionibus redarguerentur, placuit episcopis Galliæ in unum convenire, et super hac reprehensione consulere. Quibus Chelæ collectis, sinodus habita est. Cui rex Rotbertus præsedit, considentibus metropolitanis, Gerberto Remensi, cui tota sinodalium causarum ratio discutienda commissa fuit, Siguino quoque Senonensi, Erchembaldo Turonico, Daiberto Bituricensi, aliisque horum comprovintialibus nonnullis. In qua.... inter nonnulla utilia, constitui et roborari placuit, ut ab ea die, idem sentirent, idem vellent, idem cooperarentur, secundum id quod scriptum est : *erat eis cor unum et anima una.* Decerni et illud voluere, ut si in qualibet æcclesia, quæcumque tirannis emergeret, quæ telo anathematis ferienda videretur, id imprimis ab omnibus consulendum, et sic communi decreto agitandum : et qui anathemate relaxandi forent, decreto communi similiter relaxandos. Placuit quoque sanciri, si quid a papa romano contra patrum decreta suggereretur, cassum

(1) Rer. Gallic. scrip., t. x, p. 417. Leodicensi episcopo Nocherio Gerbertus.

Digitized by Google

et irritum fieri, juxta quod apostolus ait : *hereticum hominem et ab ecclesia dissentientem penitus devita.* Nec minus abdicationem Arnulfi et promotionem Gerberti, prout ab eis ordinatæ et peractæ essent, perpetuo placuit sanciri, juxta quod in canonibus scriptum habetur : *Sinodo provinciali statutum, a nullo temere labefactandum.* (1) » Verba Richeri in extenso afferre mihi placuit quæ maximi momenti esse nemo non fatebitur; quippe quæ episcopos Galliæ una voce necnon et una mente *gallicanas doctrinas* tutari denuntient.

Eadem erat episcoporum causa atque regis Hugonis. Is enim ut Arnulfus de sede deturbatur Papam sollicitus agit, summaque reverentia sibi eum conciliare conatur. « Beatitudini vestræ ego et episcopi mei per T. Archidiaconum scripta direximus, in quibus Arnulfi rationes vobis explanavimus. Sed hoc nunc obsecrando superaddimus, ut mihi, meisque justa decernatis, nec dubia pro certis recipiatis. Nihil nos contra apostolatum vestrum egisse scimus : quod si absentibus non satis creditis, præsentes de præsentibus vera cognoscite. Gratianopolis civitas in fine Italiæ et Galliæ sita est, ad quam romani Pontifices Francorum regibus occurrere soliti sunt. Hoc si vobis placet, iterare possibile est. At si nos et nostra invisere libet, summo cum honore descendentem de Alpibus excipiemus : morantem, ac redeuntem debitis obsequiis prosequemur. Hoc ex integro affectu dicimus, ut intelligatis et cognoscatis, nos et nostros vestra nolle declinare

(1) Richerus, lib. IV, cap. 89.

Digitized by Google

judicia... » (1) Haud scio an Hugo jam amicitiam cum romanis Pontificibus sancire agitaret, et, urgente Carlensium memoria, suam ipsius prolem a Papa sacratam voluisset. Sed precibus minime motus Johannes Alpes non transiit ; at mox ejus legatum a Germanis receptum rex et episcopi audivere.

A gallicanis autem doctrinis germani episcopi abhorrebant, qui Apostolicæ sedis imperio toto animo studebant. Ergo indignantes quod Arnulfus ejiceretur « domno Johanni Papæ per epistolas sæpenumero suggerebant, ut Gerberti Remorum metropolitani promotionem abdicaret (2). » Frustra omni ope Germanos revocare conatur Gerbertus, quibus res, ut gestæ sint, et doctrinas, ut in Gallia prævaleant, in insigni epistola Wilderodo Argentino episcopo inscripta accurrate enucleat. Amicitiam reposcit, et antiquum fœdus et merita memorat. « Nunc te convenio meaque tibi seria suggero, magne Dei sacerdos, ego parvus meritis non loco sacerdos. Ego ille multum jactatus terris et alto, dum philosophorum inventa persequor, dum gentes indisciplinatas fugio et non evado : ego, inquam, qui magnæ urbis Remorum proditæ, et captivi ac spoliati populi pars non parva fui, ad te quasi ad tutissimum confugio portum. Ergo fluctuanti salutarem porrige manum, fessum alleva, paria, si fors dederit, repensurum... Tu scis me Germaniam et Belgicam semper honorasse ut dominam, coluisse ut matrem, pro

(1) Labbe, Concilia, T. IX, col. 763.
(2) Richerus, lib. IV, cap. 95.

Digitized by Google

earum adversis palluisse, pro secundis lætam mentem tulisse. Et nunc quidem a te dulces affectus, quos perdidi, reposco, tuumque antistitem gratiæ indebite amissæ reconciliatorem fieri oro, meæque interpretem innocentiæ coram præsulibus, coram rege suo, cui favendo, tempore regis Lotharii, gladiis hostium addictus sum. Et nunc quidem mala pro bonis retribuuntur nobis ab his, quos pacis amatores, innocentiæ protectores, impiorum propugnatores existimabamus. Pressa jacet tyrannide omnis ecclesia Gallorum : atqui non a Gallis sed ab his sperabatur salus... (1). »

Interea pontificis legatus, Leo abbas, de habenda synodo cum Germaniæ episcopis consulebat. « A quibus Gallorum regibus, Hugoni videlicet ejusque filio Rotberto, legati directi sunt, qui papæ mandatum, necnon et episcoporum voluntatem super hoc aperiant, eisque ut cum suis episcopis conveniant, rationabiliter suadeant; locum etiam tempusque quo et quando conveniendum esset a regibus discerent (2). » Reges legationem benevola mente excipientes « papæ et episcoporum mandatis in nullo tunc refragati sunt; sese consilium super hoc quæsituros respondentes, atque æquitatem de omnibus facturos (3) » Hic legitur apud Gerbertum in epistola, ad Constantinum Miciacensem abbatem missa, aliquid de quadam conjuratione et summo periculo verbis obscuris scriptum :

(1) Rer. Gallic. script., t. x, p. 414. Ad Wilderodum Argentinum episcopum Gerbertus.

(2) Richerus, lib. iv, cap. 95.

(3) *Id., ibid.*, cap. 96.

Digitized by Google

« Satis super venerabilis A. legatione miratus sum. Referebat quippe : hæc autem omnia non dolores, sed initia dolorum sunt. Majus est quod quæritur et quod appetitur, quam ego humilis et parvus; verumque proverbium est : *tua res egitur paries cum proximus ardet;* et divinus sermo : *a sanctuario meo incipite*, id est a regni fundamento et arce. Hoc factum qui doli comitentur, in aperto est. Hoc enim concesso, dignitas vel potius gravitas confunditur sacerdotalis, status regni periclitatur (1). » Quam epistolam explanat Richeri narratio. « Legatis itaque abductis, per quosdam regibus indicatum est Adalberonem, Laudunensem episcopum, hæc dolo ordinasse; omnino etiam apud Odonem illud pridem pertractasse; eorum utrumque in voto habuisse, ut Othonem regem Galliis inducerent, et reges ingenio et viribus foras expungerent; episcopos quoque Germaniæ ideo convenire, ut dolum quæsitum expleant. Reges itaque fraude percepta, episcopis jam ad locum designatum convenientibus per legatos indicavere sese illuc non ituros, eo quod suorum præcipuos penes se non haberent, sine quorum consilio nihil agendum vel omittendum videbatur; indignum etiam sibi videri, si correctioni episcoporum Germaniæ suos subdat, cum isti non minus nobiles, non minus potentes, æque etiam aut amplius sapientes sint. Ipsi ergo si indigent, in Gallias properent, unde volunt, edicant. Alioquin, redeant, et sua ut libet curent (2). »

(1) Rer. Gallic. scrip., t. x, p. 419.

(2) Richerus, lib. iv, cap. 96. Vid. sequens caput : « Adalbero totius fraudis causa reprehenditur. »

Digitized by Google

Utrum falsum an verum, quidquid id fuerit, a synodo indicta, regis jussu, omnes Galliæ episcopi declinarunt. Germani vero « ne doli arguerentur si non accederent, statuto tempore Mosomum conveniunt, domni Papæ legatum secum habentes. » Ibi solus adfuit Gerbertus « regibus etiam interdicentibus, pro se responsurus. » Promotor Virdunensis episcopus « eo quod linguam gallicam norat » causam paucis verbis cum exposuisset, Pontificis epistolam recitavit « quam, ait Richerus, quod quia brevitati studemus, et nobis minus fuit accommodum, nostris scriptis inserere vitavimus (1). » Tum surrexit Gerbertus « atque orationem pro se scriptam in concilio mox recitavit, satisque apud illos luculenter peroravit (2). » Quo tempore et quomodo invitus electus sit enarrat, Arnulfum haud immerito ejectum contendit, supremæ sedis juri indulget, neque ideo palinodiam canit.

Nemo verba Gerberti redarguere suscipit. Episcopi vero « post aliquot sermones a domno papa corpus et sanguinem Domini, ac sacerdotale officium sub præsentia legati prohibere voluerunt. » Ex canonibus et decretis Gerbertus pœnas recusat « sed ne domno papæ omnino reniti videretur, a missarum celebratione sese cessaturum usque in alteram sinodum spopondit. » Assentiunt episcopi et legatus : indicitur nova synodus ad cœnobium monachorum sancti Remigii, die octavo post natale sancti Johannis Baptistæ (3).

(1) Richerus, lib. IV, cap. 99.
(2) *Id., ibid.*, cap. 99-105.
(3) *Id., ibid.*, cap. 106 et 107.

Digitized by Google

Hactenus Richeri historia. Præterea aliquot raræ notitiæ leguntur quæ pro fundamento operis exigendi esse habendæ videntur. Mihi vero propositum meum absolvere intendenti e variis materiem sumam.

Dum, synodo ad cœnobium sancti Remigii indicta, Leo abbas in Germania versabatur, allata sunt ei acta concilii sancti Basoli a Gerberto digesta, et nuper quasi quædam doctrinarum gallicanarum professio vulgata. « Quo viso, admiratione et stupore attonitus, cogitavit statim Leo ad Domnum apostolicum reverti et ei libellum portare (1). » Attamen Hugone et Rotberto deprecantibus moratus est; sed regibus, antequam Remos pergeret, epistolam, qua Gerberti et gallicorum episcoporum sententiæ et argumenta infirmarentur, scripsit. Ex hac epistola, quæ, quasi compendium, operibus Leonis amissis, valet, quosdam locos excerpere haud supervacuum duxi (2).

Singula Aurelianensis Arnulfi proposita carpit atque subvertere aggreditur. In adversarios imprimis retorquet hoc verbum « Antichristus » quod crebro usurpaverant. « Quid est antichristus, nisi contrarius Christo? Ecce Christus dixit, qui veritas est et mentiri non potuit, quod ecclesia beati Petri apostoli fundamentum sit omnium ecclesiarum. Et ubi ecclesiæ sperare debemus fastigium, nisi ubi locatum est fundamentum? Ibi procul dubio et cacumen et tota ecclesia permanet. Econtra antichristi vestri dicunt, quod ibi sit statua marmorea, et ut templum

(1) Pertz, Monumenta Germaniæ Historica, t. III, p. 686.
(2) *Ibid.*, p. 686 et seq.

Digitized by Google

sit idolorum. Absit, absit ut hanc injuriam Petri, immo Christi, aliquis christianus libenter audiat, et zelo Dei cor ejus contra talem heresim non accendatur! » Gallicam ecclesiam litteris et doctrina præstare confitetur. Ad hoc attendas rogo, Galliæ scilicet episcopos, quasi litteratam factionem, profanis litteris et philosophiæ studere, Romam vero ignorantiæ caligine quasi obrutam latere. « Et quia vicarii Petri et ejus discipuli nolunt habere magistrum Platonem, neque Virgilium, neque Terentium, neque ceteros pecudes philosophorum, qui volando superbe, ut avis aerem, et emergentes in profundum, ut pisces mare, et ut pecora gradientes terram descripserunt : dicitis eos nec hostiarios debere esse, quia tali carmine imbuti non sunt. Pro qua re sciatis, eos esse mentitos, qui talia dixerunt. Nam Petrus non novit talia, et hostiarius cœli effectus est, ipso Domino ei dicente : tibi dabo claves regni cœlorum. Unde ejus vicarii et ejus discipuli apostolicis et evangelicis sunt instituti doctrinis, et non ornatu sermonum, sed ratione et sensu verborum, quia scriptum est : *Stulta mundi elegit Deus ut confundat fortia.* Et ab initio mundi non elegit Deus oratores et philosophos, sed illiteratos et rusticos. Sed non est mirum, si vicarii Petri a pseudoepiscopis audiunt, quod ipse a scribis et phariseis audivit, qui ad ejus injuriam dicebant, eum idiota et sine litteris esse, et deridendo dicebant : *Musto pleni sunt isti.* Unde Jahel propheta cœcitatem illorum redarguit; qui inter cetera sic ait : *et quidem super servos meos et super ancillas meas effundam de spiritu meo;* non super phariseos aut falsos sacerdotes qui dicunt se nosce Deum,

Digitized by Google

factis autem negant. » Pontifices defunctos et etiam matrem ipsam ecclesiam romanam, contumeliis onerari vehementer indignatur. « Non ergo ex pio corde vel ore tam profana tamque perversa contra romanam ecclesiam processerunt. Verumtamen si vestra fuerunt verba, quæ in despectu beati Petri apostolorum principis, immo Dei, cujus ordinationi resistitis, scripta et quasi detrahentia sacratissimam ecclesiam composita sunt, fateor, non vos studiose sacras regulas, non venerandarum synodorum actiones, non veraces probabilium virorum canones lectitasse, quando tanta conati estis in derogatione romanæ ecclesiæ inutiliter atque incompetenter memorare. Denique si Cham, filius Noë, videns verenda patris, irrisit, nec operuit, maledictionem perpetuam percepisse legitur : quanto potius hi, qui patres spirituales non solum minime cooperiunt, sed et deridendo et falso ad subsannationem sui moris homines provocant? Scriptum quippe est : *qui subsannat patrem et matrem* et reliqua. » Ordinis legitimi et obedientiæ immemores, exemplum Arnulfus et socii imitati sunt Dioscori cujusdam, Alexandrini archiepiscopi, « qui presumpsit contra Leonem pontificem et contra romanam ecclesiam scribere; sed in tantum presumptionem sancti patres apud Calcedoniam detestati sunt, ut sine ulla restitutione eum dampnarent. Et nullam inquisitionem fecerunt, utrum juste an injuste vel quoque modo jam fatum Dioscorum contra romanam ecclesiam dictasset; sed absque omni controversia hoc in eo ulti sunt, quia, cum esset inferior, suo priore et magistrum conatus est lacessere contumeliis. Voluerunt nempe, in domo

Digitized by Google

Dei nichil fieri confusum, nichil inordinatum. Verumtamen hæc parvipendebat pater Arnulfus, cum suo nescimus quo apostate (Gerbertus), quando tanta contra romanam ecclesiam ausi sunt scribere, quod nec Ariani heretici aliquando presumpserunt. » Quid opus ecclesiam manu admota fulcire, quæ aliquando, perinde ac fœderis arca, titubat, nec, ut resurgat, aliena ope indiget? « Nam etsi aliquando in aliquo romana ecclesia titubavit, cum adjutorio Petri apostoli ipsa se erexit, et omnibus ecclesiis semper adjutorium præbuit; ipsa tamen ab aliqua adjutorium minime quæsivit, non suis viribus, sed Dei adjutorio.... Ista igitur privilegia, teste beato papa Nicolao, romanæ ecclesiæ a Christo donata, a synodis non donata, sed tantummodo celebrata et venerata, quæ nullatenus possunt minui, nullatenus non valet amovere conatus, et quod Deus statuit, firmum validumque consistit. Verum ille peccat, qui Dei ordinationi resistere temptat. Ipsa namque privilegia romanæ ecclesiæ impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, evelli non possunt; quæ permanet illibata. Quousque christianum nomen predicatum fuerit, illa subsistere non cessabit immutilata. » Canones objecit Arnulfus; isti vero sunt veri canones quibus sedis romanæ jura sanciuntur. « Ipsi sunt kanones qui appellationes totius ecclesiæ ad hujus sedis examen voluere deferri; ab ipsis vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota ecclesia judicare, ipsam ad nullum commeare juditium, nec de ejus umquam preceperunt judicio judicari, sententiamque illius non oporteret dissolui. » Arnulfus venenum indicat, me-

Digitized by Google

dicinam abscondit, « et quoniam quæ in detractione romanæ ecclesiæ evomere potuisti, scripsisti; quod autem honor et decus illius est, latenter subtraxisti : verumtamen medicamentum animæ abscondisti, et venenum, unde incautos et simplices interficere possis, ostendisti. » Deinde Pontificem romanum semper et ubique, unanimo episcoporum et conciliorum consensu, primas tulisse demonstrat. Asseruerat Arnulfus jam plures ecclesias in eo esse ut a Roma discederent; negat legatus Leo. « Et quoniam improperastis, quod orientales et Africanas seu Hipanienses ecclesias ab ea se separarent, et in hoc vos falsa dixisse cognoscite, quoniam nunc Theodorus Archiepiscopus Ægypti et Horestus Hierosolimitanus, legatos suos ad domnum apostolicum preterito anno direxerunt et de heresei Jacobitarum consilium petiverunt. Similiter de Africa... Ex qua re cognoscite romanam ecclesiam adhuc ab omnibus ecclesiis honorari et venerari, solummodo a vobis detrahi et dehonestari. » Cur Papa de Arnulfo reo siluerit indicat. « Notum est omnibus quia in tanta tribulatione et oppressione a Crescentio... nunc positus fuit, ut quando valuit et qualiter valuit, nos ad investigandam et inquirendam vestram causam direxit. At ubi Aquis venimus, jam eum depositum invenimus, et neque aliquod responsum a vobis habere potuimus. Nobis vero reversis domum, Apostolicus vos Romam invitavit; nec tamen ad eum venire voluistis. » Denique ad concilium sancti Basoli redit, quod a regibus laudatum cuncti reprobant. « Et quia in itinere positus, non ut voluimus, sed ut potuimus, scripsimus, nunc ad vestram synodum revertimur,

Digitized by Google

quæ a vobis est venerata et laudata, a cunctis vero qui audiunt depravata et vituperata. Quis fidelium æquis auribus audire potest, archiepiscopum per fidem deceptum et in carcere diu maceratum, et sic nudum vinctum, cum multitudine strepentium militum ad synodum ductum, uno teste dampnatum? Quis talia audiens vestram synodum non maledicit? etc. »

Nescimus an legato Leoni Arnulfus et Gerbertus aliquid responderint. Perpauca etiam accepimus de synodo apud Remos habita, ubi Gerbertum metropolitana dignitate spoliatum fuisse compertum (1). Attamen sub judice lis mansit, quandoquidem in Richeri notitiis legi tria alia concilia, nempe ad Silvanectum, ad montem Sanctæ-Mariæ, ad Engeleheim, collecta fuisse. Quarti denique concilii ad Causeium habiti acta a Gerberto digesta Pertz, vir doctissimus, in lucem protulit (2). Episcopi, quamvis Arnulfum haud immerito dignitate spoliatum esse contendant, summum Pontificem lacessere desistunt, et quidquid actum fuerit Crescentio tyranno exprobrant. «... Jam cum Romam ventum fuerit, non apostolicæ sedi liberum licebit proferre juditium, sed quod auri talentum obtinere poterit apud Crescentium, diaboli membrum. Non ignota loquimur. Regis ac nostri legati Romam profecti epistolas pontifici porrexerunt, et ab eo digne suscepti sunt. Sed, ut credimus, quia Crescentio nulla manucula obtulerunt, per triduum a palatio seclusi, nullo

(1) Labbe, Concilia, t. IX, col. 750.
(2) Pertz. Monumenta Hist. German., t. III, p. 691.

Digitized by Google

responso accepto redierunt. Quod peccatis nostris pervenire non dubium est, ut romana ecclesia, quæ mater et caput omnium ecclesiarum est, per tyrannidem oppressa, omnia membra debilitentur?... O christiana fides, o religio christiana; quis unquam nocens habebitur, si patriæ proditor hodie velut innocens absolvitur? Sileant ammodo leges, jura regum conticescant, si neminem in judiciis attingere fas est, nisi quem Crescentius tyrannus mercede conductus voluerit absolvere vel punire? patriæ proditor ferat præmium et qui eam liberaverit, propellatur in exilium... »

Litem vero Leo abbas non composuit, et, invito Papa, Gerbertus in sede Remensi, in carcere Arnulfus remansit. Errat igitur Baronius qui hæc asserit : « Hic spectare licet, quanta coluerit observantia Hugo, rex Francorum, Johannem pontificem, ut nulla habita ratione eorum, quæ in Arnulphum synodus decrevisset, neque juris regnandi, ut obsequatur ipsi romano Pontifici, in ecclesiam Rhemensem restitui Arnulphum eductum de carcere patitur (1). » Ex Richero enim (2) necnon et Gregorii V Papæ litteris constat nunquam gallicis episcopis Hugonem regem defuisse, imo Gerbertum vivi regis auxilio fretum sedem tenuisse (3).

Acerba autem victoria fuit; graves enim contumelias

(1) Ann. ecclesiast., t. XVI, p. 339.

(2) « Gerbertus iterum Romam adit anno 997, ibique cum moram faceret, Arnulfus a Rotberto rege dimittitur. »

(3) Pertz, monumenta Hist. Germ., t. III, p. 694.

Digitized by Google

in sede etiam passus est. « Memini etiam meos conspirasse non solum milites, sed et clericos, ut nemo mecum comederet, nemo sacris interesset. Taceo de vilitate et contemptu, nihil dico de gravissimis injuriis sæpe mihi a pluribus illatis (1). »

Anno 996, Gerbertus, quum Romæ adesset ut causam apud Papam ipse ageret, regem Hugonem obiisse audivit. Vidua autem regina Adelaides, quæ illi et ipsa favebat, ut Remos, ad dignitatem tuendam, redeat acrius instat (2). Gregorius vero Papa in episcopos sævire quorum insidiis Arnulfus dejectus erat. « Placuit sanctæ synodo, ut omnes Episcopi occidentales qui in depositione Arnulfi Archiepiscopi fuerunt et certis induciis vocati, Papiensem synodum spreverunt, et inconvenientes causas ad confundendam synodum per laicalem personam miserunt, ab episcopi officio suspendantur. Adalbero Lodunensis episcopus qui etiam metropolitanum suum apprehendit et tradidit, ab episcopi officio suspendatur (3). »

Ita episcopi quamdiu rex vixit in sententia, apud sanctum Basolum et apud Chelam expressa, firmi permanserunt. Sed, rege deficiente, gallicana communio corruit. Quippe Robertus ab episcopis discedit ut monachis sese tradat, summi Pontificis fautoribus (4). Tum nulla gratia apud regem valuerunt episcopi; tum Arnulfus, Gerberto

(1) Rer. Gallic. scrip., t. x, p. 423. Adelaidæ reginæ Gerbertus.
(2) *Id.*, *ibid.*
(3) Pertz, Monumenta Hist. Germ., t. III, p. 694.
(4) Aldalberonis *Carmen*. Rer. gallic. script., t. x, p. 65.

Digitized by Google

dejecto, iterum sedem Remensem obtinuit. Tum etiam evanuit ista Episcoporum factio, ut unius jus et imperium firmarentur cum regibus consociata : quemadmodum Hugonis posteri, ita gallicanæ immunitates obdormiscunt, donec, sancto Ludovico evocante, quasi somno excussæ tandem resurgant.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, prid. non. octobr. ann. M DCCC LV,
Facultatis Litterarum in academia Parisiensi decanus,

J.-VICT. LE CLERC.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,

CAYX.

Andecavis. — Ex typis Cosnier et Lachese.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Quae partes fuerunt episcoporum in Capetianis ad regnum provehendis.

JAN 14 1944 Mendin APR 1944

M206051

BX1529
M6

THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

YC147509

Digitized by Google